

† R. P. Petrus Ballmann (1852–1937)

(Prov. Germ. Inf.)



Corona dignitatis senectus, quae in viis iustitiae reperietur (Prov. 16, 31). Haec verba biblica denuo comprobata videmus in R. P. Petro Ballmann, qui semper per vias iustitiae incessit et annos natus octoginta quinque diem obiit supremum, senior suae Provinciae eiusque decus insigne.

In vitam terrestrem ingressus in amoeno Eifliae pago *Dasburg*, dioecesis Trevirensis, d. 18 Iul. 1852, ibidem primas litteras didicit, Latinas vero Graecasque in progymnasio Prumiensi (*Prüm*) et gymnasio Trevirensi, recipiens hoc ultimo loco simul optimam educationem in episcopali ephebeo.

Augustae Trevirorum Redemptoristis inde ab a. 1851 est domus magna et ecclesia multum frequentata. Tbi igitur Petrus noster, qui iam diu ad sacerdotium se vocatum senserat, alteram divini Redemptoris vocem audivit: *Veni, sequere me in via consiliorum evangelicorum!* Vocanti gene rose obtemperavit, et superatis fortiter variis impedimentis in ecclesia nostra Trevirensi d. 23 Oct. 1870 sacram vestem induit atque anno sequenti vota nuncupavit. In novitiatu fundamenta posuit vitae religiosae mire constantis, quae quasi Regulae nostrae incarnatio dici poterat eumque postea tam idoneum reddidit, qui aliis praeesset et iuventam Congregationis educaret.

Vix superioribus studiis in solitudine collegii *Maria-Hamicolt* in Westfalia per biennium vacaverat, cum persecutio *Kulturkampf* nuncupata eum cum confratribus patria expulit. Ceterum in nostro collegio Luxemburgensi invenerunt statim alteram patriam et studiorum continuandorum facultatem. Ibi d. 8 Iun. 1878 Ill̄m̄s Nicolaus Adames Fratri Ballmann manus imposuit sacerdotii dignitatem conferens. Ab illo die per sex fere decennia mansit *sacerdos Dei Altissimi* (cfr. Gen. 14, 18) vere dignus, sive cum sacris ad altare operabatur, sive cum verbum Dei annuntiabat *plenus Spiritu Sancto et fide* (cfr. Act. 11, 24); dignus et gravis etiam in conversando, in incedendo, in adiunctis quibuslibet. Nil mirum itaque, quod universali fruebatur veneratione.

Valetudo parum firma studiisque labefactata eum non impedivit, quominus multum laboraret et ad tam longaevam aetatem perveniret, quia in omni re via et ratione procedebat, abhorrens ab omni excessu. Debita consideratione praemissa, sciebat semper quid hic et nunc sibi faciendum esset, et ad id perficiendum semper animus eius promptus erat.

A. 1879 ad domum *Vaals* missus, inde anno insequentि ad vicinum praedium *Esch* transmigravit Lector novi iuvenatus ac primi Directoris R. P. Matthiae Arenth Socius. Post triennium, hoc iuvenatu parvulo iuxta domum *Vaalsensem* translato, ipse quoque eo rediit, nostrae iuventuti vires ibi dedicaturus usque ad a. 1892.

Tum Superiorum fiducia ei alteram iuventutis partem concredidit; sed tantum per biennium Luxemburgi constitit qua Praefectus studentium, cum a. 1894 parvus studentatus Provinciae cum studentatu Belgico uniretur. Providentia autem divina ita res disposuit, ut P. Ballmann pretiosam suam operam iterum iuvenistis dicare iuberetur. Quam vivide equidem hodie, post 44 annos, recordor exercitia spiritualia, quae P. Ballmann nobis Octobri mense 1894 tradidit! Erant meditationes et instructiones plane nobis iuvenistis accommodatae ac singulare cura elucubratae. Brevi post haec exercitia ad nos reversus est, primum Vice-Director, dein Director; nam R. P. Arenth circa illud tempus in gravem morbum incidit,

qui d. 17 Ian. 1895 dilectum patrem nobis eripuit. Inde ex a. 1896 P. Ballmann etiam Rector domus Vaalsensis erat.

Quia Director impense nobis commendabat sanctae vocationis amorem et certa conferentiarum serie confutavit quaslibet contra iuvenatum obiectiones difficultatesque. Inculcabat plurimum animi candorem et orationem et litterarum studium. Malebat peccandi pericula a suis amovere, quam postea malo mederi.

In nominationibus anni 1898 Patri Ballmann a Rmō P. Raus per triennum totius Provinciae regimen commissum est. Currebant tempora difficilia. Propter diurnum exsilium numerus sodalium erat sat exiguis (mense Septembri illius anni erant 154, 124 in Provincia et 30 in Vice-Provincia Argentina. Ineunte vero a. 1937 in universum erant 526!). Collegiis Aquisgranensi et Trevirensi sub P. Provinciali Spoos iam reaptis nunc agebatur de obtinenda venia in Bochum redeundi, quam tandem aliquando gubernium Berolinense sub certis conditionibus concessit. Redidit quoque P. Ballmann Provinciae suum studentatum proprium, revo- cans clericos autumno a. 1898 Pulchroiugo et ad tempus Treviris collo- cans. Atvero quaerebat novam altiorum studiorum sedem, siquidem Maria-Hamicolt interim in possessionem monialium O. S. B. ab adoratione perpetua transierat, et aliae Provinciae domus fini minus aptae erant. Elegit fundum paene desertum in clivo «montis fraxinorum» (*Eschenberg*) apud *Geistingen-Hennef* ad Sigam. Electionem optimam fuisse nunc vox communis est; immo sunt multi qui dicant certe paucissimos esse in tota Congregatione studentatus situ aequi incundos, nedum incundiores aptio- resque.

Sed Pl. R. P. Petrus Zender, qui Patri Ballmann successit, is est qui d. 19 Febr. 1902 a magistratibus civilibus licentiam tamdiu desideratam obtinuerit (Archiepiscopus Coloniensis Hubertus Simar inde ab initio operis fautor eximius fuerat), qui in fundo iam empto novum va- stumque aedificium a fundamentis excitari, quique transformationem huius miseri fundi in «hortum deliciarum» inceperit. Quanquam etiam Patri Ballmann magna huius operis ardui pars obtigit; postquam enim annis 1901–1904 Luxemburgi Rector fuit, eodem munere (et inde ab a. 1905 etiam cathedra theologiae moralis) in novo studentatu Geistingenensi func- tus est usque ad nominationes post Capitulum a. 1909 factas. Huc autem cum advenit, novae ecclesiae fabricatio nondum finita erat, et in collegio ipso quanta etiamtum paupertas! Videntes autem Superiorem, quamvis infirma utentem valetudine, omnia tamen novarum fundationum incommoda fortiter, immo laete tolerantem, etiam nos subditi talem ducem forti animo sequebamur.

A. 1909 P. Ballmann iterum Luxemburgensi collegio praepositus est et post tres annos Trevirensi. Ibi in prima sua allocutione ait sibi sexa-

genario gratum fore, si peregrinationis terrenae statione ultima iamiam potitus esset, aliquando ad S. Paulini templum in terra tot Martyrum sanguine madefacta sepeliendus. Quod servi sui fidelis desiderium Deus explevit. Num vero is tum cogitarit sibi viam longam 25 annorum restare? Et fuerunt hi quoque, immo hi praecipue, anni pleni meritorum. In eius rectoratum 1912–1918 incidit magnum bellum, cuius effecta urbs Trevirorum peculiari modo sentiebat.

Exactis autem illis sex annis P. Ballmann ipse Superiores rogavit, ut sibi, per 26 annos continuos aliis praeposito, iam liceret subditorum more vivere. Interim perrexit laborare *sicut bonus miles Christi Iesu* (cfr. II Tim. 2, 3), domi forisque. Cum mense Septembri 1920, Limburgi exercitia tradens, subitam virium defectionem expertus esset, P. Provinciali postea scripsit: « Cotidie de morte cogito, nec volo eam mihi inopinanti supervenire. In manu Dei sumus. At otiosus esse nequeo. Quamdiu vires suppetunt, laborabo. » Cui proposito fidelis mansit, per decennium officium Ministri solita sua cura adimplens, per novem annos officium confessarii ordinarii in Seminario maiore, domi quoque et in ecclesia confessiones innumeratas excipiens, usque ad aetatem 80 annorum et amplius sacrum suggestum ascendens vel itinera incommoda perficiens ad verbum Dei populo cleroque annuntiandum. Etiam cum paene surdus factus esset, instrumento usus a confessionibus audiendis non abstinebat.

Corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei (Eccli. 25, 8). Hic senex peritus et Dei timore repletus merito etiam aliquot dies vidit gloriae, veluti cum complesset 50 annos professionis (20 Oct. 1924), totidem annos sacerdotii (11 Iun. 1928)¹, tandem professionis annos 60 (22 Oct. 1931)².

Hoc igitur anno P. Ballmann adamantinum sacerdotii iubilaeum celebrare potuisset, verum interim iam ad praemia aeterna vocatus est. Sensim organa corporis senio vere confecta erant, immutato tamen manente lucidae mentis vigore. Praeter auditum ultimo tempore etiam vocem fere plane amisit et aegre aliquid liquidi deglutire poterat, ita ut ultimis septimanis a litando Sacro ei abstinendum fuerit.

Die 2 Novembris 1937 duxerunt eum in nosocomium SS. Cordis; at-tamen, cum etiam specialis medici curae nil contra mala inveterata valerent, ipse petiit suum redditum, ut inter confratres moreretur. Reversus est d. 24 eiusdem mensis. Postero die in oratorio ultimam communionem

¹ *Analecta VII* (1928), 221.

² L. c. X (1931), 302 sq. Hoc ultimum iubilaeum simul cum connovitio R. P. *Friederico Grote* celebravit, qui adhuc in Vice-Provincia de Buenos Aires superstes est.

sacramentalem recepit. Tum defatigatus cubitum ivit neque amplius e lectulo surrexit. Die 26 sua sponte efflagitavit extremam unctionem, addens hanc rationem: se adhuc mentis compotem esse. Eam pientissime recepit una cum Benedictione Apostolica et sollemniter vota religionis renovavit, praesente tota communitate numerosa, cum etiam 20 clerici studentes nunc ibi degant, ut scholis Seminarii episcopalnis assistentes servitio militari liberi esse queant. Propter nimium autem catarrhum carissimo seni Viatico recipiendo supersedendum erat.

Exinde iacebat mente serena et tranquilla, vix cum hominibus et eo magis cum Deo et Caelicolis loquens, usque ad d. 1 Decembris, longae vitae postremum. Fuit meridies feriae IV, S. Ioseph sacrae, quando mors sine ulla agonia venit, potius ut amicus, quod idem in S. P. N. Alfonso et S. Clemente accidit. Huiusmodi fini pacem spiranti adfuit integra communitas preces fundens et similem in Congregatione mortem sibi exoptans.

Optimo iure Pl. R. P. Provincialis von Meurers in oratione funebri intra Missam exsequiale habita has notas characteristicas in carissimo defuncto extulit: P. Ballmann imprimis fuit lucidum exemplar regularis observantiae. Regulam usque ad apicem ipse servare satagebat, et cum erat Superior, nil antiquius habebat quam eius observantium in tuto collare. Hac de causa « vita Carthusiani » non minus ei cordi erat quam « vita Apostoli ».

Quam bene etiam in Patrem Ballmann quadrant verba illa de Ieremia propheta prolati: *Hic est fratrum amator et populi Israel; hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate* (II Mach. 15, 14)! Hic genuinus S. Alfonsi filius singulari amore prosequebatur eius Institutum et universam Christi Ecclesiam, et ab orando pro ipsis non relaxabat animum¹.

Laudibus quoque efferri decet huius veneratissimi confratris zelum pro sanctificando clero, quem primum exercuit pro futuris nostris sacerdotibus illis 24 annis, quibus in iuvenatu et studentatu magni momenti officiis vacabat; deinde aliis multis annis seminaristas aut sacerdotes in spiritu dirigens eosque proprii status obligationibus instituens.

Have, pia anima; vivas in Christo beata!²

¹ Cum a. 1931 librum de Monialibus a SS. Redemptore (*Die Redemptoristinnen*) publici iuris fecisset, P. Ballmann peculiares nobis gratias egit, quod inde prima vice accuratiorem Ordinis adeo nobis coniuncti notitiam haurire potuerit. Se nunc in corde sensus multo magis « fraternos » erga has Sorores sentire.

² Cfr. etiam quae de desideratissimo P. Ballmann R. P. *Bernardus Arens* scripsit in « Der Volksmissionar », 1938, 49-52, et Pl. R. P. *Henricus Musshoff* in « Sanctificatione Nostra », 1938, p. 26 sq.